

STATUTA

FIDELISSIMÆ
NATIONIS
PICARDIÆ

RECOGNITA,
REFORMATA,
Et Amplissimi Ordinis autoritate
confirmata.



PARISIIS,

Apud THIBOUST, REGIS, nec-non
Academiæ Parisiensis Typographum, in
Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLVI.

L. p. du 10 Août 1788

art. XI Les Aggrégés pourrout afficher
sur l'Aff. de l'Eniv. de la f. de avant code la
station dans laquelle ils auront été immatriculés
et ils parviendront aux charges de lad. station
à leur tour et dans le rang de ceux qui ne sont
ni p^{re}aux, ni p^{ro}f. ni Regens, sans concevoir qu'ils
puissent avoir voix délibérative dans lad. Aff.
ni être promus auxd. charges qu'ils n'aient 25 ans
accomplis, et qu'ils n'aient pendant un an
rempli les fonctions d'Aggrégés.

art. IX

.. Aggrégés seuls admis à suppléer pro Regentia
et p^{ro}f. autres emploieront la formule usée
dans la station d'All. ... ainsi dans les 3 stations.





CONCLUSIONES
FIDELISSIMÆ
PICARDORUM
NATIONIS.

De Editione & reformatione
suorum Statutorum.

QUoniam sine legibus &
Statutis, nulli Ordini
certa pax & sua dignitas
constare queunt, nec illa observari,
quandiu ignorantur, ignorari vero
necesse est à plerisque, nisi repetitâ
identidem eorum promulgatione,
omnium oculis subjiciantur; id-
circo Fidelissima Picardorum Na-

tio, operæ prætium esse duxit Sta-
 tuta sua, quæ variis locis dispersa
 erant; suis è latebris eruta recog-
 noscere, atque in unum veluti cor-
 pus compacta, typis mandare; hæc
 de re porro tredecim abhinc annos
 & amplius, multa ab eadem Natio-
 ne decreta sunt, & in libris Pro-
 curatoriiis inscripta, maximè verò
 Procuratoribus Magistro Gabriele
 Rougeau, ad supplicationem Mag.
 Nicolai Tavernier, Tribus Bello-
 vacensis Decani; Magistro Carolo
 Marteau, præmonente Mag. Pe-
 tro de Langlet, Universitatis Pro-
 curatore Generali; Magistro Ste-
 phano Simon, qui non sine multa
 curâ & studio, Statuta hinc inde
 dispersa collegit, collecta ordine
 descripsit: Sed optatissimum illud
 opus inchoatum, ac imperfectum
 pependit ad hunc usque diem, quo
 frequentibus Comitibus, optimorum
 virorum exemplo efflagitavimus,

Ann.

1662.

Ann.

1664.

Ann.

1671.

5

ut tandem Fidelissima Natio, huic negotio, quod suæ tranquillitati & splendori utilissimum futurum est, manum extremam imponeret, & quæ antiquanda aut addenda forent, examinaret; lubens votis nostris annuit, diemque dixit decimum-tertium Octobris 1674. In quo Comitia haberentur extrâ ordinem, ad ipsa Statuta recognoscenda ultimum & probanda quæ cum ipso die relegissemus palam & in tribus aut quatuor articulis non-nihil difficultatis occurrisset, Natio frequens communibus omnium suffragiis, me Procuratorem suum rogatum voluit, unâ cum M. Abr. Marlier Primario Collegii Montacutiani, M. Petro de Langlet Academiae Syndico, M. Paschale de Joüy, Bacc. Theologo Soc. Cardinalitio, ut super istis Articulis conferremus consilia, & quod æquius nobis visum esset, pro nos-

Ann.

1674.

trâ Prudentiâ statueremus, ac denique operi toties repetito fastigium imponi, typis mandari, & Senatusconsulto confirmari curaremus, & ita per nos conclusum & executioni mandatum.

PHILIB. LE BEGUE,
Fidelissimæ Nationis Procurator,
& tribus Laudunensis Decanus.




STATUTA

FIDELISSIMÆ

NATIONIS

PICARDIÆ.



CAPUT I.

De sacris Nationis, & supplicationibus Universitatis.

ARTICULUS I.



Acrosanctum Missæ ^{1336.}
Sacrificium pro more
antiquo, una quâque
die Sabbati, in Sacello Scho-
larum Fidelissimæ Nationis
A iiij

8 *Statuta Fidelissima*

Picardiæ ritè celebrator. In hanc rem, qui sacra fecerit, quadragenta libellas habeto.

ARTICULUS II.

1351. Diebus festis à Majoribus
1355. constitutis, videlicet Assump-
1614. tionis, Nativitatis, Purifica-
1637. tionis, Annunciationis, &
Conceptionis B. Mariæ Vir-
ginis; utroque B. Nicolai tam
æstivali quàm hyemali, &
B. Catharinæ, horâ octavâ
matutinâ, sanctum Missæ
Sacrificium in eodem Sacello,
solemni Ritu celebrator, qui
interfuerint Tribules singuli,
quinque solidos Turonenses,
Decani singuli, Censor, &
singuli Apparitores decem
D. D. Procurator & Quæf-
tor viginti sibi habento. Item
1614. singulis Doctõribus in Theo-
logiâ, & Medicinâ qui aliàs

nomen Nationi dederint, si
aderint suæ Facultatis insi-
gnibus, hoc est duplicatis &
pellitis vestibus ornati, ea-
dem quæ Decanis sportula
conceditor. Secus omni spor-
tula privantor.

ARTICULUS III.

Pridie eorundem dierum
solemnium, in eodem Scho-
larum sacello, Vespertinæ
preces horâ post meridiem
secundâ celebrantor, eadem-
que singulis sportula tribui-
tor.

ARTICULUS IV.

Iusta Mortuis ad statos dies 1641.
& à Testatoribus ipsis defini-
tos, religiosè solvuntor. Id
ritè ut fiat, Vigiliæ, quas vo-
cant, cum Laudibus & Missa
horâ ~~septimâ~~ matutinâ in

*deinceps horâ undecimâ ut
statutum fuit die 16. Xbris 1782.*

10 *Statuta Fidelissima*

Scholarum Sacello piè celebrantur. Die tamen primâ Octobris Vigiliæ & Laudes Defunctorum præter ordinem, pro M. Joanne Buridano, olim Philosophiæ Professore celeberrimo. Postridie Missa solemni ritu decantatur, piis itaque Majorum suorum Manibus hoc dierum ordine Fidelissima Natio parentato.

Die secundâ Octobris piis Manibus M. Joannis Buridani Morinensis, olim Philosophiæ Professoris celeberrimi.

Die vigesimâ Oct. M. Firmini Wiot Quæstoris Socii ac Pastoris Domûs Cardinalis.

Die duodecimâ Novembris, M. Roberti Lesquevin Socii Cardinalitii & S. Hilarii apud Parisios Pastoris.

Die nonâ Decemb. M. Roberti de Valencourt.

Die quintâ Februarii M.
Petri le Fevre Pastoris S. Hi-
larii apud Parisios.

Die vigesimâ - primâ Fe-
bruarii, M. Caroli le Clerc
Tribus Ambianensis Decani.

Item. Si quis è Fidelium 1651.
Natione Vir Procuratorius,
aut Rectorius, vel Decanus,
vel quispiam alius insigniter
de Academia meritus, exce-
dat è vivis, solemniter ipsi,
Fidel. Natio, primo quoque
post obitum die, parentato.
Porro qui parentalibus inter-
fuerint, dierum solemnium
sportula gaudento.

ARTICULUS V.

Die decimâ - tertiâ Janua- 1331.
rii, quæ sacra est S. Firmino
Ambianensium Patrono, pro
more veteri, Missa horâ oc-
tavâ matutinâ, pridie verò

*veititur ad Dominum sequentem,
1^a vespere horâ 1^a in vigilia*

12 *Statuta Fidelissimæ*

vespertinæ preces horâ ~~se-~~^{ci-}
~~cundâ~~ promeridianâ apud
Cardinalitios solemni ritu ce-
lebrantur. Fiat autem distri-
butio tantummodò D.D. Pro-
curatori, Quæstori, & præ-
sentibus è Tribu Ambianensi
Magistris.

ARTICULUS VI.

1351. Choristis seu Cappiferis,
& Ministris Altaris sportula
duplicator. Pontifex verò si
Vesperis simul & Missæ so-
lemnibus præfuerit tres libel-
las, si Parentalibus minùs
solemnibus trigenta tantùm
solidos accipito.

ARTICULUS VII.

Quæstor, quos voluerit è
Doctoribus, Decanis, Pro-
ceribus, aut Magistris ad Sa-
cra Nationis celebranda in-
vitato.

Die tamen sextâ Decembris
Divo Nicolao sacra, D. Pro-
curator de Præclara Artium
Facultate Pontificem assu-
mito.

ARTICULUS VIII.

Omnes ad sacra Nationis
veste Academica seu Magis-
trali induti accedunto. D. Pro-
curatori sua Sedes fixa & statâ
ab antiquo servator. Docto-
res in Theologiâ & Medici-
nâ, Decani, & Viri Procu-
ratorii, Chorum seu Sacellum
ingrediuntor: Cæteri in aula
manento. Ad Sedes singulo-
rum in Missis immediatè post
Agnus Dei, in Vesperis post
Magnificat, à Quæstore spor-
tulæ deferuntor, qui verò in
vesperis post *Gloria Patri*,
quinti Psalmi, in Missâ post
Offertorium, accesserint, vel

qui Pileum quadratum & Togam Academicam non attulerint, pro absentibus habentor. Absentium autem nulla ratio esto. Distributione factâ, tabula conficitor, cui nomina vel potiùs numerus & dignitas eorum qui Divino Officio interfuerint, inscribuntor. Ipsi verò ad faciendam fidem Cenfor, aut eo absente D. Procurator aut Decanus, vel saltem Antiquior Magister subscribito, alioqui Nationi expensa pecunia ne imputator. Idem in qualibet sportularum erogatione, quæ sive in Supplicationibus, sive in Comitibus fiet, observator.

ARTICULUS IX.

In pervigilio Purificationis B. Mariæ Virginis, Ce-

rei, de more à Quæstore offeruntor, Amplissimo D. Rectori libralis serico capulo ornatus; Fidel. Nationis Patronis & Procuratoribus, tum in Senatu, tum in Castelleto Parisiensi singulis libralis. Die verò ipsâ Purificationis in Sacello, hoc ordine distribuuntor. D. D. Procuratori, Quæstori, Pontifici, & Decanis libralis, Censori, singulis Viris Procuratoriis, Doctoribus in Theologiâ & Medicinâ, sacri Altaris Ministris, Choristis, & Apparitoribus semilibralis, singulis Tribulibus quatuor unciarum, Absentium nulla ratio esto.

ARTICULUS X.

Supplicationibus Univer- 1339.
sitatis omnes adsunto ornati,
ut decet. Academicas vestes

16 *Statuta Fidelissima*

& Epitogia, non in sacra Mathurinenſium Æde, ſed in Periſtylio induunto: bini junctim non procedunto, ſed quoad fieri poterit, utrumque vici latus occupanto. A profanis colloquiis abſtinento: ſolemnes Preces aut cum Cantoribus canunto; aut ſecum recitanto: Modestam denique totius corporis in inceſſu compoſitionem ſervanto; nè quid adverſus iſta peccetur, Cenſor caveto. Porro qui Supplicationibus interfuerint ſinguli Tribules decem, Cenſor, Decani, & Apparitores viginti. D. D. Procurator & Quæſtor, quadraginta ſolidos Turonenſes accipiunto; Abſentium nulla ratio eſto. Fiat autem erogatio cum ſacra pompa dimittitur. Quo tamen Amplior Comitatus adſit


adfit redeunti Ampliff. D.
Reſtori, eum, Nationis Offi-
ciarii, putà, D. D. Procura-
tor, Quæſtor, Cenſor, &
Examinatores, tam primi
quàm ſecundi examinis, uf-
que ad Ædem Mathurinen-
ſem, ubi debitam ſibi ſpor-
tulam accipient, comitantor.
Si quis eorum ſecùs fecerit,
ſumma viginti aſſium mul-
ctator, ita requirente Natio-
nis Cenſore, qui propterea
in catalogo præſentium aut
abſentium nomina deſcribito.

ARTICULUS XI.

Qui die ſeptimâ Decemb.
veſte & pileo Magiſtrali or-
nati, apud Prædicatores Miſ-
ſæ Solemni de Spiritu Sanc-
to, quæ pro vivis hujus Aca-
demix Magiſtris, horâ ſep-
timâ matutinâ celebratur,

18 *Statuta Fidelissima.*

interfuerint, singuli Tribules
quinque, Decani, Censor,
& Apparitores decem; D. D.
Procurator & Quæstor vi-
ginti solidos Turonenses ac-
cipiunt. Eadem erogatio fiat
die tertiâ Februarii, quâ apud
eosdem Predicatores, Missa
solemnis pro Defunctis hujus
Academiæ Magistris, horâ
item septimâ matutinâ cele-
bratur.



CAPUT II.

De Comitibus Designatoriis.

ARTICULUS I.

Comitia designandis qua-
tuor viris, ad eligen-
dum Amplissimum Dominum
Rectorem in Collegio Car-
dinalitio & Becodiano alter-

nis, horâ septimâ matutinâ celebrantur; ita ut die primâ legibili post Festum Sancti Dionysii, & ultimâ die legibili ante Annunciationem apud Becodianos; Die verò primâ legibili post primum O Parisiense, & ultimâ die legibili ante Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, apud Cardinalitios habeantur.

ARTICULUS II.

Nemo in Quadrumvirum ^{1524.} eligitor, nisi qui vel Philosophiam per biennium, aut Grammaticam per triennium in celebri Collegio publicè docuerit, vel formatus, ut aiunt, in Theologiâ aut Me- ^{1670.} dicinâ Baccalaureus, & attingat ad minimum trigessimam ætatis, quintum verò sui Magisterii in Artibus annum.

ARTICULUS III.

Quatuorvir pro more antiquo non viritim, sed per quinque Viros à singulis Tribulibus designatos eligitor; In iis designandis, nullus è Tribulibus suffragio vel activo, vel passivo gaudento, nisi qui
 1524. vel sit Regens actu, vel per Biennium Regens fuerit in Facultate Artium, vel formatus in Theologiâ aut Medicinâ Baccalaureus, & præterea annum ætatis suæ trigessimum planè abfolverit.

ARTICULUS IV.

1329. Quo die Quadrumvir electus fuerit, eodem die horâ
 1524. decimâ matutinâ apud Mathurinenfes viritim confirmator; deinde Juratus, Amplissimum Dominum Recto-

rem, unà cum aliarum Nationum Quadrumviris in Conclavi eligito, electumque suæ Nationi renunciato.

ARTICULUS V.

Qui Procuratorio Magistratu novissimè abierit, is si Magistratum cum laude gesserit, & cæteras condiciones requisitas habuerit, pro more laudabili, proximè sequentibus Comitiiis Rectoriis Quatuorvir à singularum Tribuum Quinqueviris designator. Idemque D. Procuratori Adjunctus esto in omnibus Comitiiis Conventibusque publicis, ad quos Universitatem per suos delegatos venire opus erit. 1671. 1675.

ARTICULUS VI.

Die octavâ Maii, in pervigilio Sancti Nicolai, horâ

22 *Statuta Fidelissima*

septimâ matutinâ in Scholis ;
celebrato priùs ad Invocatio-
nem Divini Numinis Sacro-
sancto Missæ Sacrificio, D.
Procurator per quinque Vi-
ros quotannis eligitor, die
verò primâ legibili mensis
Octobris, horâ septimâ matu-
tinâ, Quæstor eodem ritu
designator.

ARTICULUS VII.

In Pervigilio Sanctorum
Simonis & Judæ, Comitia
Censoria apud Mathurinen-
ses ab Amp. D. Rectore indic-
ta, horâ septimâ matutinâ ha-
bentur, in quibus Cenfor viri-
tim eligitor, & una duo Ex-
punctores, qui Syngrapha seu
acta omnia commentariis Pro-
curatoriis inscribenda mu-
niant.

ARTICULUS VIII.

In Pervigilio Assumptionis B. Mariæ Virginis, horâ septimâ matutinâ apud Maturinenses, nominati à Meritissimis Beatae Mariæ & S. Genovefæ Cancellariis Licentiaandorum Examinatores, à singulis Tribulibus viritim confirmantor. In pervigilio verò Sancti Dionysii die octavâ Octobris, horâ item septimâ matutinâ in Scholis à singulis Tribulibus, singuli Tribules Baccalaureatus Candidatorum examini præficiuntor; deinde à totâ Natione confirmantor, & fiat etiam distributio.

ARTICULUS IX.

In sportularum erogatione, quæ omnibus Comitibus fiet, D. D. Procurator & Quæstor

24 *Statuta Fidelissimæ*

altero tantò ampliùs quam Decani : singuli Decani, Cenfor & Apparitores altero tantò ampliùs quam singuli Tribules habento. Comitiiis porrò Procuratoriis, Quæstoriiis, Cenforiis & iis quibus Examinatores Baccalaureatus Candidatorum designantur, cuique Tribuli præfenti Quæstor sportulæ nomine viginti solidos erogato. Cæteris Comitiiis decem dumtaxat ; absentium nulla ratio esto.

CAPUT III.

De Fidelissimæ Nationis Magistratibus generatim.

ARTICULUS I.

1329. **N**emo duo aut plures Magistratus vel officia simul eodem tempore gerito. Magistratuum

gistratum verò aut Officio-
rum nomine Procuratorium,
Censorium, Quæstorium, Exa-
minatorium munus & Appa-
ritoris utriusque officium in-
telliguntor.

ARTICULUS II.

Nemo ambitiosis vel pre- 1374.
cibus vel largitionibus, aut
iniquis aliis quibuscumque
Pactionibus ad honores Aca-
demicos viam sibi sternito. Si
quem aut pecuniam aut exile
quoddam munus pro iis adi-
piscendis cuiquam vel dedif-
se, vel obtulisse apparuerit,
uterque per unum annum ob-
tinendis in Natione Officiis,
inhabilis habetor.

ARTICULUS III.

Quilibet Magister ad quod- 1329.
cunque Munus fuerit evec-

26 *Statuta Fidelissimæ*

tus, jurato se per omnia Nationis Honori atque Utilitati fideliter serviturum, nec prius obeundi Muneris ipsi potestas esto, quàm Puplicis Comitiis coram D. Procuratore, concepta in Statutis formula jusjurandum Nationi dederit.

ARTICULUS IV.

1329. Nemo se ante tempus per Statuta præfinitum Magistratu abdicato, nisi magna de causa, de quâ Nationem prius certiozem fecerit. Si ad tempus duntaxat egrediatur ex urbe, id suo Procuratori prius significato.

ARTICULUS V.

1524. Magistratus & Officiarii omnes, certam fixamque in-

tra Academiae septa Sedem habento. Nec nisi qui ante electionem per sex menses eam continenter habuerit, ad quodcunque munus admittitor, & si deferuerit, à munere vel officio excidito.

ARTICULUS VI.

Magistratus omnes annui 1668. sunt; nemini prorogantur. Alternis vicibus Regentes, ut vocant, & non Regentes capiunt. Inter Professores Antiquior, si modo muneri gerendo par & idoneus fuerit, Juniori præponitur. Re- 1669. gentium verò nomine, tam Gymnasiarchæ quàm Professores Collegiorum pleni, ut vocant, Exercitii censentur.

ARTICULUS VII.

Magistratus omnes, excepto Cenforio, Tributim designantur. Hanc in rem Comitibus Examinatoriis à singulis Tribubus, singuli Tribules Examini Candidatorum præficiuntur: Comitibus verò Procuratoriis, & Quæstoriis unum unaquæque Tribus Quinquevirum appellato; tum appellati Quinque Viri sacramento dicto, invocatoque Numine, Conclave soli ingrediuntur, & quem ipsi vel major pars eorum gerendo muneri magis idoneum duxerint, bonâ fide eligunt, electionem factam Quinquevir electi contribulis toti Nationi renunciato. Hæc demùm à singulis Tribulibus,

nisi Statutis adverfetur, viri-
tim confirmator.


ARTICULUS VIII.

Ad Quinqueviratum aspi-^{1524.}
rare nemini fas efto, nifi fit
Regens actu, vel fuerit per
Biennium, aut in superiori
Facultate Baccalaureus. In
Conclavi Quinquevir Belva-
censis præfto; aliorum fuf-
fragia colligito; cum pluri-
bus vel paribus cenfeto, &
concludito. Si verò de uno
& eodem deligendo, tres fal-
tem Quinqueviri non con-
fentiant, fed bipartita fint
fuffragia, D. Procurator Con-
clave ingreditur, & in alter-
utram voluerit partem in-
clinato.

ARTICULUS IX.

Cùm recurrent Fidelissimæ Nationis vices præsentandi quod aiunt, ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, fiat designatio per Quinqueviros, qui priusquam Conclave ingrediantur, coram D. Procuratore in sequentia juranto. Juratis ex animi vestri Sententia, vos bonâ fide electuros eum in N. quem Nationi utiliore judicaveritis, non moti pretio, precibus, odio, vel amore, aut quâcunque aliâ affectione sinistra. R. Juro.





CAPUT IV.

De Ornatissimo Picardiæ Nationis Procuratore.

ARTICULUS I.

AD Procuratoriam dignitatem aspirare nemini fas esto, nisi qui vel Philosophiam per Biennium, aut Grammaticam per Triennium in Collegio celebri docuerit, vel formatus in Theologiâ, aut Medicinâ Baccalaureus fuerit: qui verò sive Professor, sive Baccalaureus, aut Uxoratus fuerit, aut ante Biennium integrum, in gremium Nationis non fuerit adoptatus, eodem Munere excluditor.

1524.

1624.

1624.

ARTICULUS II.

Procuratoris electi nomen à Natione Amplissimo Domino Rectori prius indicator, quàm ad proferendam Nationis nomine Sententiam, ipse in Facultate admittatur. Dominus Procurator vocatus ab Amplissimo Domino Rectore in Comitibus frequens esto: si quid levioris rei in deliberationem venerit, ipse totius Nationis Nomine sententiam dicito: si quid majoris & gravioris momenti inciderit, consulendæ Nationis spatium sibi sumito; si secus fecerit, totum id irritum esto. Si verò Comitibus præsens adesse non possit, vices suas non alteri quam viro Procuratorio delegato.

ARTICULUS III.

Clavim Arcæ in quâ asser-
vatur sigillum Universitatis,
Apparitori aut servo ne cre-
dito, sed ipsemet, aut ipsius
vice Magister aliquis è suâ ^{1312.}
Natione personaliter, ut aiunt,
figillationi adesto. Cùm ape-
riendum erit Universitatis Ta-
bularium, idem religiosè ob-
servato.

ARTICULUS IV.

Jus designandi & creandi
Officiarios Universitatis quos
vocant, exceptis Nunciis,
cum Amplissimo D. Recto-
re, & aliarum Nationum Pro-
curatoribus, penes D. Pro-
curatorem esto. Et si quid
inde proveniat emolumentum,
sibi habeto.

ARTICULUS V.

D. D. Rectoris & Procuratoris Edictis licitis & honestis, non Tribules modò, sed & Magistratus & Officarii quilibet religiosè parento. Qui non paruerint, & causam fonticam non attulerint, mulctâ eorum arbitrato irrogandâ mulctator. Si moniti & mulctati iterùm parere noluerint, in perpetuum è gremio atque omni Officio Nationis excluduntor.

ARTICULUS VI.

Dominus Procurator, ut debitè Comitia fiant, more antiquo, inter duos Soles Tribus convocato, missis pridè, nisi necessitas urgeat, ad singulos Decanos per Appa-

ritorem Schedulis. Singulis
Comitiis postremorum Comi-
tiorum conclusionem relegi-
to, neminem ad suffragium,
nisi Academicâ veste & pileo
quadrato instructum admitti-
to, cum pluribus aut saltem
paribus numero suffragiorum
censeto & concludito.

ARTICULUS VII.

Dominus Procurator acta 1668.
fui Magistratus & conclusio-
nes ex adversariis, in fastos
Procuratorios non priùs re-
ferto, quàm à Censore & 1668.
duobus Dispunctoribus fue-
rint probata, quibus iidem
subscribunto.

ARTICULUS VIII.

Dominus Procurator Cla- 1329.
vim unam Arcæ communis

Nationis penes se habeto. Hanc nec Apparitori, nec servo credito, sed cum aperienda erit Arca, ipsemet, aut ipsius vice Magister aliquis è Natione, personaliter interesto. Clavim hanc, Sigillum & Libros Procuratorios apud Successorem sine prævia acceptilatione ne deponito. Si verò in libris Procuratoriis folia quædam, ipsius negligentia vel fraude
 1342. deesse contigerit, pro unoquoque deficiente folio, summam Nationi solvito.

ARTICULUS IX.

In omni Sportularum erogatione, Dominus Procurator altero tantò ampliùs habeto quàm singuli Dccani: à singulis Baccalaureatus Artium

Candidatis , viginti solidos
sibi habeto : à Nobilibus, vel
Beneficiariis Quadraginta , à
Nobilibus & Beneficiariis ,
Tres libellas.

ARTICULUS X.

D. Procurator in sua Insti-
tutione conceptis verbis in
sequentia jurato.

Juras primò te Procurato-
rio munere fideliter functu-
rum, & per omnia Univer-
sitatis, Præclaræ Artium Fa-
cultatis, & præsertim tuæ
Nationis Honori atque Uti-
litati servitutum. R. Juro.

Item. Juras te curaturum, 1329.
ut ab omnibus Nationis Sta-
tuta religiosè observentur. In
contumaces verò, & ea quo-
que modo violantes, dili-
genter & severè animadver-

38 *Statuta Fidelissimæ*

surum, aut à Natione & cujuscunque aliis Judicibus idoneis animadverti curaturum. R. Juro.

Item. Juras te in Comitibus frequentibus apud Mathurinos, primam à sinistro Amplissimi Domini Rectoris latere Sedem occupaturum, debitumque tuæ dignitati gradum ubique retenturum. Respondeo, Juro.

Item. Juras te iisdem sacramentis tuum Successorem obligaturum. R. Juro.





CAPUT V.

De Censore Fidelissimæ Nationis Picardiæ.

ARTICULUS I.

CENSURÆ Candidatus, non minoris dignationis quàm qui Procuratorii muneris, esto.

ARTICULUS II.

Omnibus Comitibus, etiam 1621.
extraordinariis à D. Procuratore, propter Nationis negotia indictis interesto, & ne quid in Statuta Nationis, vel in bonos mores peccetur, diligenter & religiosè caveto.

ARTICULUS III.

1329. In omnibus & singulis electionibus Magistratum & Officiariorum Nationis, quæ ad singulos pertinebunt Statuta palam & publicè legito, ut si conditiones obtinendo Muneri necessarias Candida-
 1658. to non habuerint, arceantur; si habuerint, quid sibi oneris incumbat, agnoscant.

ARTICULUS IV.

- Testimonia confecti Cur-
 sus Philosophici, & datæ
 apud Academiam fidei man-
 data Litteris, & munita Chi-
 rographis Professoris, Gym-
 nasiarchæ, item, & codi-
 1673. cillos Philosophicos, ne illis
 aliquid desit, eorumque Cha-
 racteres propria eorum manu
 probatos,

probatos, impræsentiarum à singulis Candidatis Baccalau-
reatus Artium exigit; quæ-
que non probaverit, irrita
sunto. Eorum examini præ-
esto. Eorundem nomina,
quantique eorum Bursæ æsti-
mata fuerint, actis publicis
inscribito. Examinatorum qui
examine non interfuerint,
Nomina diligenter notato in
Catalogo à se postmodum,
cùm à Quæstore reddentur
rationes exhibendo. A sin- 1673.
gulis Candidatis duas libellas
Turonenses; à Nobilibus aut
Beneficiariis Quatuor; à No-
bilibus & Beneficiariis Sex
sibi habeto. Si ipse examine
non interfuerit, nihil pror-
sus habeto, ejusque Sportula
in fiscum Nationis cedito.

ARTICULUS V.

1641. Si quis ex alia Universitate
adscribit volet Academiæ Pa-
risiensi, Litteras suas Testimo-
niales Censori Fidelissimæ
1642. Nationis exhibeto, & de illis
in Comitibus referto.

ARTICULUS VI.

- Librorum Procuratorio-
rum folia Censor quotannis
1342. recenseto, foliorumque nu-
merum in Scheda peculiari
describito. Si quæ desidera-
ta fuerint, Procuratorem ne-
gligentia vel fraudis, apud
1645. Nationem accersito.

ARTICULUS VII.

Censor in sua institutione
conceptis verbis coram Do-
mino Procuratore in sequen-

tia jurato. Juras te per omnia Nationis Utilitati atque Honori servitutum, & curaturum ut ab omnibus, Statuta religiosè ferventur, nominaque Examinatorum qui examini Candidatorum non interfuerint, apud Nationem, aut ejus deputatos fideliter delaturum.



CAPUT VI.

*De Quæstore & rationibus
Nationis.*

ARTICULUS I.

N Emini ante Quinquen- 1524.
nium integrum ad minimum, à die Magisterii Artium adepti, ad Quæsturam aditus esto.

ARTICULUS II.

1629. Quæstor prius locupletem fidejussorem Nationi dare tenetor, quàm vel res Nationis administret, vel munus Quæstorium ullum obeat. Hanc in rem qui lectus fue-
1666. rit Quæstor, intra octavum ab ejus electione diem, suam simul, vadisque sui fidem Nationi, publico instrumento coram duobus Actuariis adstringito. Secus à Quæsturâ excluditor.

ARTICULUS III.

Quæstor bonorum omnium Nationis, tam mobilium quàm immobilium indicem D. D. Procuratoris & Decanorum Syngraphâ munitum à Prædecessore accipito. Si quis

illius negligentia compererit
amissum, ab illo repetito.
Rem Nationis familiarem di-
labi ne finito. Domos bis aut
ter quolibet anno perlustrato,
ne quid detrimenti capiant
videto. Quæ fuerint instau-
randa, ex consilio D. D. Pro-
curatoris & Decanorum inf-
taurato; nisi rei gravitas pos-
tulet, ut Natio tota consula-
tur; si leviora fuerint, à
domorum ^{locustas} Conductoribus re-
sarcienda curato. Ut munda
sit semper, & nitida Sacelli
supellex, operam dato.

ARTICULUS IV.

Quæstor sumptus extraor-
dinariorum inconsultâ Natione
ne facito, si graviores fue-
rint: si leviores, ne incon-
sultis Decanis. Nihil pro mi-

46 *Statuta Fidelissima*

nimis ære minuto permu-
tis Nationi imputato. Si mo-
netæ alicujus pretium, vel
minui vel abrogari contige-
rit, octavo ad summum post
Edicti abrogatorii promulga-
tionem die, in manus Domi-
ni Procuratoris Schedulam
Syngraphâ suâ munitam tra-
dito, cui abrogatæ pecuniæ,
quæ penes se fuerit summa
fideliter inscripta sit. Sin mi-
nùs nihil ipsi remittitor.

ARTICULUS V.

Quæstor rationes Nationis
diligenter conficito. Pecunias
à domorum conductoribus
singulis Trimestribus exigito;
cùm acceptam referet pecu-
niam pro quo Trimestri solu-
tio & acceptatio fiat, in ac-
ceptilatione exprimito. Debita

debitis coacervari ne finito ;
secus , nisi solitam diligen-
tiam se adhibuisse publicis
instrumentis probaverit , ipsi
debita imputantur.

ARTICULUS VI.

Nomina eorum qui in gre-
mium Nationis admissi fue-
rint & cooptati , Item eorum
qui burfas solverint , cum bur-
farum æstimatione habeto
fideliter descripta. A singu-
lis qui cooptari in Nationem
volent , pro Jure Regentiæ
& Scholarum , Quindecim
libellas Turonenses accipito.
Uniquique Sportulas , juxta
modum Statutorum erogato.
Nulli tamen distribuito , qui
veste Academicâ & pileo
quadrato non accesserit. Alias
ipsemet Sportula diei pri-

vator. Quam in rem Censor intendito.

ARTICULUS VII.

Quæsturâ non decedito, priusquàm Successor sacramentum locupletemque prædem Nationi dederit, quibus datis confestim rationes accepti & expensi reddito, Successorique Libros, Tabulas, Claves, omniaque Quæstorii muneris insignia tradito, cum bonorum tam mobilium quàm immobilium indice. Omnium verò quæ tradiderit accepti rationem exigito.

ARTICULUS VIII.

In suis rationibus, accepta & expensa singulatim recenseto. Operariorum & Mercatorum acceptilationes, item tabulas quibus numerus eorum,

rum , qui vel Comitibus vel Officio , ut aiunt , Divino interfuerint, inscriptus sit, Censoris , vel Procuratoris , vel his absentibus , Antiquioris saltem Magistri manu subscriptas exhibeto ; alioqui impensam pecuniam Nationi ne imputato. Si quæ fuerint debitorum reliquiæ quas ipse vel Prædecessores non acceperint , hæ speciali capite diligenter & singulatim enumerato , nec aliter rationes concluduntor. Si quid ab expensis residui habuerit in manibus , id si summam centum librarum excedat , confestim in Ærarium Nationis reconditor ; sin minùs in manus Successoris deponitor. Utriusque verò in fine rationum mentio fiat accurata.

ARTICULUS IX.

Audiendis expungendisque rationibus Quæstoris , quæ reddentur infra ultimum Octobris , D. D. Procurator , Decani , & eorum Adjuncti , Cenfor item adfunt. Dis- punctis verò rationibus , singuli D. D. Procurator & Quæstor Decem libellas Turonenses ; Decani , Cenfor & Apparitores Quinque , Adjuncti duas Libellas cum Decem assibus accipiunt , nec deinceps convivium instrui- tor.

ARTICULUS X.

Quæstor in stipendium quotannis Decem Libellas Turonenses sibi habeto. In Spor- tularum erogatione Domino

Procuratori plerumque par esto. A singulis Baccalaureatus Artium Candidatis viginti solidos sibi habeto ; à Nobilibus & Beneficiariis Tres libellas.

ARTICULUS XI.

Quæstor in suâ Institutione coram Domino Procuratore conceptis verbis in sequentia Jurato.

Juras te Quæstorio munere fidelissimè functurum , & per omnia tuæ Nationis Honori atque Utilitati serviturum. R. Juro.


Item. Juras te nihil pecuniæ Nationis cuiquam crediturum , nec Fidejussores & pignora à debitoribus Nationis accepturum. R. Juro.

Item. Juras te summam, modum, formam, seu speciem, & valorem pecuniæ à te Nomine Nationis acceptæ vel expensæ, fideliter relaturum. R. Juro.

Item. Juras te intra Mensem tuæ abdicationis ad summum, acceptorum & expensarum rationes redditurum, pecuniamque omnem à te Nationi debitam, intra octo ad summum dies, eidem soluturum. R. Juro.

1337. *Item.* Juras te nullam Sportulam erogaturum Tribulibus, qui nostris Comitibus vel Sacris, sine Magistrali toga & pileo quadrato intererunt, quive post *Offertorium* accedent, aut nondum decantato *Agnus Dei*, abibunt. Respondet, Juro.

Item. Juras te, neque Cen-
sori, neque Examinatoribus,
neque Apparitoribus qui Exa-
mini Candidatorum non in-
terfuerint, quidquam eo no-
mine soluturum, mulctati-
tiamque inde pecuniam, in
rationes tuas fideliter induc-
turum. R. Juro.



CAPUT VII.

De Examinatoribus.

ARTICULUS I.

DIE Mercurii cujusque
hebdomadis, horâ pri-
mâ pomeridianâ, cùm sistet
se Candidatus aliquis, in
Scholis Nationis apud vicum
Stramineum (non alibi citrà
necessitatem, nec pluresquàm 1673.

sex examinentur ; ut tamen pro ratione temporis , utilitati & commodo privatorum consulatur , poterunt Examinatores , à primâ die seu Calendis Augusti , ad Idus ejusdem mensis , unaquaque die examinare) fiat periculum eruditionis ipsius , tum in Litteris humanioribus , tum in Philosophia ; nec nisi post explicatam aliquam Authoris bene Latini , tum Poëtici tum Græci paginam , ejusque sensum vel Gallico , vel Latino saltem Idiomate expositum , ad Baccalaureatum Artium admittitor.

ARTICULUS II.

Nullus Candidatus ad Examen accedito , nisi munitus Testimoniis Professoris, Gym-

nasiarchæ & Censoris, quibus constet per Biennium tum audiendo, tum scribendo, operam eum navasse rebus Philosophicis Lutetiæ, apud Academicum Professore, fidem Academiæ dedisse, & Pensionem honorariam, juxta æstimationem D. Procuratoris, unâ cum Officiariorum & Examinatorum Sportulis, Quæstori persolvisse.

ARTICULUS III.

Quoniam verò jam exhaustum est omninò Nationis Ærarium, D. Procurator non minoris quàm sex libellis, pensionem honorariam, à singulis 1672.
Baccalaureatus Artium Candidatis, persolvendam æstimato; nisi malint coram tota Natione supplicare, & suæ pau- 1662.

56 *Statuta Fidelissima*

pertatis testes adhibere. Nobilium verò aut Beneficiariorum pensio, non minoris quàm duodecim libellis, censetur. Insuper singuli Tribus Ambianensis Candidati, viginti solidos supra pensionem æstimatam, in Sacrà Divi Firmi-
ni Ambianensium Patroni, Quæstori solvunto.

ARTICULUS IV.

1275. Nullius planè sint Authoritatis testimonia Professorum, qui suæ Nationi pro Regentia & Scholis non supplicaverint, & in gremium ejusdem non fuerint cooptati.

ARTICULUS V.

Nullus Candidatus ad Lauream Baccalaureatûs Artium admittito, nisi cujus eruditior,

tribus Arbitris seu Examina-
toribus probata fuerit, cujus
autem eruditio tribus saltem
non fuerit probata, ei non
ante tres menses, ad Exa-
men redeundi facultas esto.

ARTICULUS VI.

Nullus Examinis Arbiter
sedeto, qui sacramentum co-
ram D. Procuratore in Comi-
tiis Publicis non dederit, & ves-
te Academica, pileoque qua- 1329.
drato non indutus accesserit,
aut qui Examinatoris munere,
apud B. Mariam, aut S. Geno-
vefam fungatur. Examen por- 1329.
rò non incipiatur, nisi præsen-
tibus saltem tribus Examina-
toribus cum Censore, cui jus
esto moderandi Examinis, suf-
fragia colligendi, & interce-
dendi, si quid contra leges
peccari adverterit.

ARTICULUS VII.

Singuli Examinatores, à singulis Candidatis Baccalau-reatûs Artium, viginti solidos; à Nobilibus vel Beneficiariis duas libellas; à Nobilibus & Beneficiariis Tres libellas sibi habento; dummodo
1271. tamen examini interfuerint: secùs, eorum Sportulæ redeunto in fiscum Nationis. Hanc in rem Quæstor, præter pensionem honorariam, à singulis Candidatis, summam quindecim Libellarum Turonensium Officiariis, Examinatoribus, & Apparitoribus distribuendam accipito; à Beneficiariis verò altero tantò; A Nobilibus simul & Beneficiariis, duplo majorem exigito. Insuper à singulis cujuscunque conditionis tres libellas cum decem af-

sibus accipito, ad litteras Magisterii Artium expediendas; nec prius debitam à Candidatis Sportulam Apparitoribus erogato, quam litteras Magisterii Artium uniuscujusque Candidati probè instructas, unà cum Autographis, seu, quas vocant, minutis, ad se receperit. 1618.

ARTICULUS VIII.

Autographæ illæ Magisterii Artium, quas minutas vocant, litteræ, apud Quæstorem manento, donec in commune Nationis Tabularium deferantur. 1628.
Quare, ne quidquam vel sua vel Apparitorum negligentia deperdatur, diligenter caveto. Quotannis porrò, statim atque redditæ fuerint rationes, in commune Tabularium Nationis deferuntor. 1652.

ARTICULUS IX.

1329. Examinatores in sua Institutione, conceptis verbis in sequentia coram D. Procuratore juranto.

Juratis vos omnes simul examinaturos, vel ad minimum Tres ex vobis, de omnium consensu. R. Juramus.

1382. Juratis vos Examinatorio munere fideliter functuros, & per omnia vestræ Nationis Utilitati atque Honori servituros. R. Juramus.

1463. *Item.* Juratis vos ab Examinandis nihil quidquam accepisse aut accepturos esse, etiam sponte oblatum, quocumque prætextu, præter id quod vobis Statuta attribuunt. R. Juramus.

Item. Juratis vos, nullum Candidatum ad Examen ad-

missuros esse, nisi Litteras legitimo sui Professoris, Gymnasiarchæ, D. D. Rectoris, Cenforis & Quæstoris testimonio munitas attulerit. Respondent Juramus.

Item. Juratis vos neminem ad Baccalaureatum Artium admissuros, nisi Grammaticis Litteris humanioribus & Philosophicis Disciplinis, satis eruditum: inertes verò & illiteratos, ab eo dignitatis gradu prohibituros. R. Juramus.

ARTICULUS X.

Baccalaureatus Artium Candidati, coram D. Procuratore, priusquam eorum pensio æstimetur, conceptis verbis in sequentia juranto.

Juras te fidem Catholicam & Romanam piè semper,

62 *Statuta Fidelissima.*

inviolatèque servaturum. Respondet, Juro.

Item. Juras te libertates singulas, privilegia, Statuta, Jura, & consuetudines honestas & laudabiles Universitatis Parisiensis, Facultatis Artium, & specialiter Nationis nostræ, fidelissimè observaturum & defensurum ad quemcumque statum deveneris. R. Juro.


Item. Juras te in licitis & honestis D.D. Rectori & Procuratori Nationis Picardorum obediturum, honoremque habiturum, ad quemcumque Statum deveneris. R. Juro.

Item. Juras te, si cui Magistro, præsertim Regenti fiat injuria, quantum in te erit, curaturum ut ipsi fiat satis, necejus, aut quoscumque alios Academiae adversarios, quo-

vis modo adjuturum aut defensurum. R. Juro.

Item. Juras te per biennium integrum Academicum Parisiis, Philosophicas Academici Professoris Lectiones auribus & scriptis excepisse. R. Juro.

Item. Dices nobis, an genere sis Nobilis, aut Beneficium Ecclesiasticum possideas.



CAPUT VIII.

De Venerandis Quinque Tribuum Decanis.

ARTICULUS I.

ANtiquissimus in unaquaque Tribu Artium Magister, suæ Tribus Decanatu potitor. Antiquitas verò, non à die adepti primùm

64 *Statuta Fidelissima*

Artium Magisterii, sed à die
dati Nationi Nominis, repe-
titor.

ARTICULUS II.

1628. In Publicis Comitiis Na-
1642. tioni, pro obtinendâ Decani
1650. dignitate supplicato, nec Ju-
1651. ra Decanatûs obtineto, quin
1653. antea Decanus à Natione fue-
1654. rit approbatus.

ARTICULUS III.

1672. Clavem Arcæ publicæ, suæ
fideicommissam, cùm præ-
sertim muniendæ fuerint lit-
teræ, ipse afferto, vel si
adesse non possit, nemini nisi
1329. Prodecano, aut alteri Ma-
gistro ferendam committito.
Si ad tempus ex Urbe disce-
dat, eandem Prodecano re-
linquito, idque antequam
exeat,

exeat , Procuratori signifi-
cato.

ARTICULUS IV.

Decanus & eo absente Pro-^{1643.}
decanus , Comitibus suæ Tri-^{1665.}
bus præsto , secundum plu-
res pronunciato ; si æqualia
fuerint suffragia , utri volet
parti accedito.

ARTICULUS V.


In omni Sportularum ero-
gatione , altero tantò quam
singuli Tribules , Decanus-
accipito. In creatione Nun-
cii Majoris , quinque libellas
habeto.

ARTICULUS VI.

In Comitibus Fidelissimæ Na-
tionis , secundum Procura-
torem Decani , vel iis absen-

66 *Statuta Fidelissimæ*

tibus , Prodecani pro suæ
quisque Tribus ordine seden-
to , & suffragia ferunto , ac
cæteri deinceps ex ordine ,
quo in Nationem adsciti sunt.



C A P U T IX.

*De Quinque Tribubus Natio-
nis Picardiæ , earumque
Tribulibus.*

A R T I C U L U S I.

INTER Fidelissimæ Natio-
nis Tribus seu Provincias,
principem locum Bellova-
censis teneto , alterum Am-
bianensis, tertium Noviomen-
sis , Quartum Laudunensis ,
Quintum denique Morinensis,
quæ præter Boloniensem, cæ-

Nationis Picardiæ. 67
teras etiam Belgii Diœceses
complectitur.

ARTICULUS II.

Quotiescunque duo Tribu- 1664.
les tantum, ex aliqua Tribu
Comitiis intererunt, tunc
novissimus Exprocurator qui
aderit, huic Tribui adscisci-
tor, quo ternarius saltem suf-
fragiorum numerus implea-
tur, neque hic tamen in sua
Tribu suffragio destituitor:
quod si Tribulis unus tantum
adfuerit, duo viri Procura-
torii, iique novissimi simili-
ter adsciscuntor. In qua Tri-
bu nemo Tribulis adfuerit,
hæc vacato illâ vice.

ARTICULUS III.

Nemo in gremium Fidel.
Nationis cooptator, nisi qui

vel sit Regens actu in Facultate Artium, vel formatus in Theologia aut Medicina Baccalaureus, vel saltem ante Quinquennium Magisterium Artium adeptus sit. Si quis verò Professor, ante adeptum quintum Magisterii sui annum docere publicè desierit, tum & Scholarum juri-
bus gaudere definito, donec annus quintus abierit.

ARTICULUS IV.

Qui accedent supplicaturi pro Regentiâ & Scholis, unâ cum Litteris Testimonialibus sui Baptismatis, & litteris
1674. Magisterii Artium: Professores quidem Chirographum suū Gymnasiarchæ, Baccalaurei verò Litteras Baccalaureatûs, Censori Fidelissimæ Nationis

probandas afferunto; Quæstori verò quindecim libellas numeranto, alioqui in gremium Nationis non admittuntur. Quo verò die admissi fuerint, suffragio nullo cùm activo cùm passivo fruuntur.

ARTICULUS V.

Ubi quis admissus fuerit in gremium Nationis, & solemni sacramento fidem adstrinxerit, D. Procurator eodem die, Procuratorio libro diligenter inscribito.

ARTICULUS VI.

Quos Ecclesiasticum aliquod Beneficium, extra Parisios residere cogit, ii omni suffragio tam activo quàm passivo, & omni Sportula similiter privantur.

ARTICULUS VII.

Quo die quis in gremium Nationis cooptabitur, in Comitibus publicis coram D Pro-
curatore, conceptis verbis in
sequentia Jurato.

Juras te Fidem & Religio-
nem Catholicam, Apostoli-
cam, & Romanam piè, sem-
per, inviolatèque servaturum
R. Juro.

Item. Juras te libertates sin-
gulas, privilegia, & Statuta,
Jura, & consuetudines ho-
nestas & laudabiles Univer-
sitatis, Facultatis Artium, &
imprimis Nationis nostræ
Fidel. observaturum, & de-
fensurum ad quemcumque
Statum deveneris. R. Juro.

Item. Juras te secreta Uni-
versitatis vel Nationis, ne-


mini proditurum. Respondet,
Juro.

Item. Juras te statutum semper à partibus Magistrorum sæcularium, ut vocant, eorumque Statum, Statuta, & Privilegia defensurum, ad quemcunque Statum devenieris. R. Juro.

Item. Juras te Statutum Facultatis de præpositione Rectoris, in actibus communibus Universitatis observaturum, ad quemcunque Statum deveneris. R. Juro.

Item. Juras te non ambiturum in alia Academia aut Facultate eum gradum, quem in hac Parisiensi Academia obtines. R. Juro.





CAPUT X.

De Apparitoribus seu Bidellis.

ARTICULUS I.

APPARITORES D. D.
Rectori, Procuratori,
cæterisque Fideliss. Nationis
Magistratibus & Decanis, pa-
rento; ni paruerint, mulcta
eorum arbitrato, irroganda
coërcentor.

ARTICULUS II.

Apparitores, singulis heb-
domadis etiam non vocati,
Dominum Procuratorem se-
mel adeunto, suam operam
& obsequium delaturi, qui
non adierit, mulcta ejus ar-
bitrato irroganda mulctator.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

Nemini nisi probatæ, inculpatæ-que vitæ, Apparitoris Munus demandator; ideò qui ad illud aspiraverit, litteras testimoniales, à viris fide dignis exhibeto.

ARTICULUS IV.

Substituendi Apparitoris in ^{1643.} locum defuncti, vel Munus suum ejurantis, plena & libera potestas esto penès D. D. Procuratorem, Quæstorem, Decanos, & Tribules Nationis, qui viritim eum eligunto. Si quis verò vel Procurator vel Decanus, Jus illud Nationis, quoquo modo labefactare, aut violare ausus fuerit, ipso facto, omni Jure Nationis, tam activo quàm

passivo privator. Apparitores sic electi, fidejussorem locupletem, danto, priusquam Clavæ aut Togæ purpuratæ, eorum fidei committantur.

ARTICULUS V.

1652. Apparitores die quo Dominus Procurator eligitur, singulis annis, suas Clavas in manus novi Procuratoris deponunto, debitam meritis laudem, aut negligentiae poenam lataturi. Qui verò Apparitor Officium suum neglexerit, vel jussa D. Procuratoris in re gravi sæpius detrectaverit, aut malis artibus Munus suum obtinuisse compertus fuerit, Comitibus solemnibus expungitor.

ARTICULUS VI.

Apparitores januam & adi-
tum Comitiorum custodiun-
to. Ne quis non Juratus in-
grediatur, caveno. Thecam
Calamariam, calamis & atra-
mento benè instructam, lit-
teris & distributionum Sche-
dulis describendis, ad ma-
num semper habento.

ARTICULUS VII.

A Candidatis Artium, ni-
hil pro scamnis, aut aliâ quâ-
cunque re, exigunto; sed
solitis Stipendiis contenti fun-
to. A singulis Baccalaurea-
tus Artium Candidatis, Ma-
jor quatuor libras, Minor
duas sibi habeto. A Nobili-
bus, aut Beneficiariis duplo
majorem summam uterque

76 *Statuta Fidelissima.*

accipiunto; prædictam tamen pecuniam à Quæstore non priùs Major, aut eo absente Minor accipito, quàm litteras Magisterii Artium probè munitas, unà cum Auto-graphis, seu, quas vocant, minutis ipsi attulerint, & qui examini interfuerint, quivè abfuerint, diligenter indicaverit: pro singulis verò litteris à se curatis, decem asses accipito.

ARTICULUS VIII.

In Sportularum erogatione, parem suo labori mercedem accipiunto. Utrique tamen eadem quæ Decanis ut plurimum, Sportula tribuitur.



ARTICULUS IX.

Apparitores , priusquàm munus ineant suum , coram D. Procuratore, Comitibus Publicis in sequentia Jurato.

Juras te officio tuo fideliter functurum , & per omnia Nationis Utilitati, & Honori serviturum. R. Juro.

Item. Juras te , Statuta , Privilegia , Jura , Libertates, & consuetudines laudabiles Universitatis, Facultatis Artium , & imprimis Nationis Picardorum, observaturum , nec secreta earumdem proditurum. R. Juro.

Item. Juras te in licitis & honestis obediturum D. D. Rectori & Procuratori ejusdem Nationis Picardorum. R. Juro.

78 *Statuta Fidelissima*

Item. Juras te , quantum poteris, pacem, concordiam, & amicitiam , inter Magistros & Scholares , & focios tuos Apparitores conciliatorum & servaturum. R. Juro.



C A P U T X I.

*De Patrimonio & Obventio-
nibus Nationis.*

A R T I C U L U S I.

D. D. Procurator, Quæstor, & Decani, domos & prædia Nationis, hominibus non minùs probatis, quàm locupletibus, fideliter locanto, nec nisi post tertiam promulgationem locatio fiat.

ARTICULUS II.

Nec Procurator, nec Deca-^{1329.}
ni, imò nec ipsa Natio ad hoc
speciatim vocata, quidquam
bonorum, vel mobilium, vel
immobilium vendito, distra-
hito aut abalienato. Toto ve-
rò mense Septembri, qui so-
lemni Academiae Justicio fa-
cer est, nisi magna, & evidens
urgeat necessitas, quæ post
vacationes, à Natione, vel à
majore ejus parte probetur,
nihil de iisdem bonis à quo-
quam statuitur.

ARTICULUS III.

Quidquid emolumenti su-^{1643.}
pererit ex obventionibus ma-
jorum Nunciorum, factis ero-^{1643.}
gationibus assuetis, id totum,
Natio in rem suam vertito.

80 *Statuta Fidelissima*

Hæc porrò sit erogationis ratio. D. Procuratori Decem libellæ Turonenses; Cenfori, Quæstori, singulis Decanis & Apparitoribus, Quinque; præsentibus Tribulibus non singulis, sed universis ejus Tribus, ex quâ is Nuncius erit qui cooptabitur. Item quinque libellæ Clerico magnorum Nunciatum erogantur. Absentium verò nulla ratio esto. Item D. Rectori Quatuor libellæ cum decem assibus, Scribæ verò Universitatis, Octo libellæ cum decem item assibus, pro Autenticis litteris tribuuntur. Horum porrò Nunciorum creando- rum potestas esto, penès D.D. Procuratorem, Quæstorem, Decanos, & Tribules singulos Nationis, qui viritim illos eligunt o.

ARTICULUS IV.

Cætera verò emolumenta, 1657.
quæ ex omni Nunciatum ge-
nere proveniunt, juxtà fan-
ctiones Regias & Senatus-
consulta, singulis Professori-
bus Fidelissimæ Nationis qui
aut Philosophiam, aut Elo-
quentiam, aut Humaniores
Litteras, aut Grammaticam
doceant actu, in Collegiis ple-
ni, ut vocant, exercitii, in qui-
bus non modò Philosophia, sed
etiam Eloquentia, Humanio-
res Litteræ & Grammatica, in
distinctis Classibus doceri so-
leant, & actu doceantur. Item
que Primariis eorundem Col-
legiorum, Stipendii loco, ex
æquo penduntor.

ARTICULUS V.

Li verò solùm Stipendio prædicto gaudento, qui Magisterium Artium adepti, nomen suum Nationi publicè dederint, & in eam fuerint coop-
tati; tùm qui Philosophiam profitentur, unum jam in Philosophia cursum confecerint;
Qui verò Eloquentiam, & Humaniores Litteras cum Primariis, unum vel Professionis
suæ, vel Præfecturæ annum expleverint. Postremò ne quis omninò, pro duplici titulo, duplex sibi Stipendium arrogato.

ARTICULUS VI.

1662. Emeriti in prædicta Artium Professione, aut Præfectura, æquo cum Professoribus & Primariis actu Regentibus,

gaudento. Emeriti porrò censcantur , qui Quatuor decim annos, quorum septem saltem continui sint , in sua arte confecerint, Parisiis mancant, nec in Beneficiis aut pensionibus Ecclesiasticis, plusquàm mille libras annui & certi redditus habeant.

ARTICULUS VII.

Nunciatum administratio, penès D. D. Procuratorem , Decanos , Gymnarfiarchas & Professores , tam actu Regentes , quàm Emeritos , prout nunc est, maneto. Excipiendis redditibus, & litibus procurandis, unus ex iisdem Electus, quotannis præficitor. Bis in anno, mense scilicet Martio & Augusto, Stipendiorum distributio fiat. Semel verò reddantur rationes , Mense Septem-

84 *Statuta Fidelissima*
bri, vel Augusto, coram D. D.
Procuratore, Decanis, & eo-
rum Adjunctis, de numero
Professorum assumptis; item
& Censore, quibus quemad-
modum & Apparitoribus,
solitæ computorum Sportulæ
erogantor.

His omnibus subscripserunt,
& subsignarunt nobiscum,
Præfati Deputati à Fidelissima
Natione.

PHILIB. Le BEGUE,
Fidelissimæ Nationis
Procurator.

DE LENGLET.

AB. MARLIER.

DE JOUY.

*Hæc Statuta, Senatûs Authoritate compro-
bata sunt, die decimo-tertio Julii, An. R. S.
millesimi sexcentissimi septuagesimi quinti.*

FINIS.